

FLANDRIA.

316

Præterea Alveum habet manufactum magnorum etiam navigiorum patientem, per quem præter predicta flumina quantam omnium rerum ab omni Orbis parte accipiat copiam, incredibile dietu est. Ex his enim in Mare patet via per alveum sive Aquæductum, qui se ad Ostium vulgo t'Sas, in Oceanum exonerat cataractis ad hanc rem stupendo artificio exstructis. Decem milliaribus distat Antverpia, totidem Bruxella, Mechlinia, Middelburgo. Ambitus intra muros est 45640 pedum Romanorum: hoc est Italicorum milliarium septem. Insulas habet xxvi. Pontes majores, xcii c. Molas aquarias i v. Trusatiles infinitas: centum quæ vento aguntur. Ecclesiæ in universum lv. Abbatias v. Cives hujus civitatis frequentia, nobilitate, opibus animis sunt eximii. Hæc Carolum v Imperatorem Orbis dedit. Hæc litteris *Judocum*, *Badium*, *Joannem Cornarium*, *Lævinum Brechtum*, & alterum *Lævinum Torrentum*, *Baldquinum Ronsum*, *Vtenhovum*, alioque protulit. Opificiorum genera in hac urbe lli. Textorum præterea ordines xxvii i instituti primum a Comite Balduino, filio Arnoldi Magni, Anno 10. CCC. Lxv. *Brugæ* (*Brugge*) vel a pontium frequentia nomen habent, vel a ponte *brug stock*, juxta Oldenburgum & Ardenburgum, è quarum urbium ruinis ante annos 10 CCC. prima arx Brugenlis exstructa est; sita est tertio milliari a Mari loco plano. Ambitus intra muros est 26600 pedum Romanorum, hoc est Italicorum mill. quatuor cum dimidio. Vrbs est non Flandria tantum, sed etiam totius Belgicæ amoenissima: templo habet lx, quorum præcipuum & augustissimum est S. Donatianni, olim sacrum B. Virginis, exstructum a Liderico primo Flandriæ Comite, anno 12xxi. Opibus in tantum floruit, ut Ioanna uxor Philippi Pulcri quum huc venisset Anno c10 CCC. vidissetque virginum & matronarum ornatum, stupore primum, postea muliebris emulationis cœstro percita, conquesta sit, non se solam reginam esse. Opificiorum genera exercentur lxiix. Et in hac rerum copia neque flumen habet, neque Portum neque fontem. Fossa est humana ducta industria, ipsi *Reye* vocant, quæ per totam urbem diversa, ad Slusam sese exonerat in Oceanum. Et quia hæc majoribus navigiis nondum sufficiebat, alias in longe maiorem altitudinem perduxerunt, oppositisque Catarractis a Mari discluserunt. Sunt & hujus urbis Cives bello, imperio, literis celebrati. Tanta etiam olim hujus urbis in mercaturis potentia fuit, ut cum quavis alia totius Europæ urbe conferri posset. Brugenses primi Cassiterides (Hispanis & *Açores*) Insulas in Oceano invenerunt, quæ propterea *Flandricæ* vulgo dicuntur: iidem Bursam primi Mercurio sacram habuerunt, a qua postea Antverpiæ, Rhotomagi, Londini, & in aliis urbibus mutatis rerum vicibus loca mercatorum conventui destinata nomen traxerunt. *Ypræ* a rivulo *Ypræ* præterlabente dicta, vulgo *Iperen*, anno cmlx condita est. Hujus urbis fundus dicitur esse plumbeus, idque propter magnam plumbeorum tuborum vim, quibus aqua varie per Civitatem universam distribuitur. Atque hæc quidem sunt Vrbes primæ. Portus sequuntur: *Slusæ* a Catarracta nomen habet, quæ Flandris vocatur *Sluys*, urbs est maritima: Portum habet capacissimum, quo quingentæ naves commodissime recipi possunt. Ex adverso est Insula *Cadsant*, Georgii Castantri patria. *Ostendæ* ad Oceanum sita, obsidione Archiducis Alberti gravissima, quam ad annos tres & aliquot menses fortissime sustinuit, ac innumeris pæne utrinque cœsis, nobilis. *Neoportua* (*Nieuwpoort*)

Brugæ

Ypræ
Slusæ
Cadsant
Neoportua